

**HELENA** Constantini Magni filia, vxor Iuliani. Huic Eusebia Constantii Imperatoris vxor insidiabatur, quòd ipsa sterilis vixerat, quæsitumque venenum per fraudem bibere illexit, vt quotiescunque concepisset, immaturum abiiceret partum. Cùm autem in Illyricum Iulianus contra Constantium cum exercitu iret, ex partu mortua est. Corpus eius Romam perlatum, in suburbano Nomentanae viae sepultum est.



**IOVINIANVS** in Pannonia, patre Varroniano, Comite ordinum agri Singidonensis natus, prima aetate præceptoribus erudiendus traditus, haud parum liberalibus artibus profecit. Ingenio valde amœno, nec à literis abhorrente. Cùm Iulianus in Oriente interiisset, ab exercitu Imperator inuitus electus est. Licet paulò antè cùm Iulianus lege ab exercitu exegisset Christianos, cingulum militiae deserere, quàm Imperatori obtemperare maluisset. Electus autem statim voluit omnes milites Christianum nomen profiteri, quod & fecerunt. Ac deinde exercitum Rom. traiecit vltra Tygridem fluuium, ibique ictum est foedus pacis ad annos xxx. non sine calamitate Romani Imperii, restitutis quinque prouincijs Transygritanis, quas Galerius Maximinus acceperat. Restituit etiam Sacerdotes & Episcopos, præsertim Athanasium Magnum, qui priùs sub Constantio & Galieno pulsi erant. Cùmque venisset ad oppidum Dadaftana, quod est inter Bithyniam & Galatas, cruditate stomachi, siue, vt alii volunt, in cubiculo recenti tectorio obducto, prunis etiam ardentibus dormiens, repente interiit, Imperii mense vii, aetatis xxxiii. Vir vultu latissimò, oculis caëlis, vasta & ardua proceritate, Christianae legis studiosissimus, literarum haud expers, sed mediocriter eruditus, beneuolus, & in suos propensus, quos ad dignitatis gradus euexerat.